

APPENDICES

A. 1.

Processus informativus commendatarii abbatiae Canoniorum Regularium Lateranensium Tremesnensis Nicolai Stanislai Świącicki¹ ad episcopatum Kiowiensem promovendi, cum Andreas Załuski, qui antea episcopi Kiowiensis munus expleverat, ad episcopatum Plocensem² translatus esset. Processui informativo interfuerunt: episcopus Livonicus (Vendensis) Nicolaus Popławski, iesuitae: secretarius et theologus regius Carolus Mauritius Vota et Adamus Krasnodebski, et dominicani: confessorius regius Ambrosius Skopowski et Vincentinus Urbanowicz.

Or.: ASV Arch. Concist., Processus Consist. 91, f. 85r-95r.

[85r]

Processus informativus

super vita, moribus, doctrina et idoneitate caeterisque requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Stanislai Świącicki commendatarii abbatiae Tremesnensis canoniorum regularium Lateranensium. Wincenty Urbanowiczruium promovendi (si sanctissimo domino nostro placuerit) ad episcopatum Kiiowiensem vacantem, per translationem ill[ustrissi]mi et rev[erendissi]mi d[omi]ni Andrea Załuski ad episcopatum Plocensem dictae cathedralis ecclesiasticae Kiioviensis ultimi et immediati possessoris, nec non super statu eiusdem ecclesiae, coram ill[ustrissi]mo et rev[erendissi]mo d[omi]no d[omi]no Ioanne de Via archiepiscopo Thebarum et nuntio apostolico in Regno Poloniae.

[85v]

In Nomine Domini Amen.

Anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, indictione Romana quarta, die vero ultima mensis Iunii, pontificatus autem s[ancitissi]mi in Christo patris et domini nostri d[omi]ni Innocentii Divina Providentia Papae XII anno VI.

Coram ill[ustrissi]mo et rev[erendissi]mo d[omi]no Ioanne Antonio de Via, Dei et Apostolicae Sedis gratia archiepiscopo Thebarum, sanctissimi domini

¹ Nicolaus Stanislaus Świącicki, natus anno 1640 in Zuzela in dioecesi Posnaniensi, officialis Varsaviensis, annos 18 ad varia munera explenda missus est in Belgiam et Italiam, ex abbatia Canoniorum Regularium Lateranensium, ad episcopatum Posnaniensem translatus est die 18 V 1699.

² Andreas Chrysostomus Załuski, natus in Stołec? in dioecesi Gnesnensi, commendatarius abbatiae Cisterciensium in Wąchock in dioecesi Cracoviensi, annis 1683–1697 epus Kiowiensis, anno 1692 epus Plocensis, anno 1699 epus Varmiensis.

nostri domini Innocentii Divina Providentia Papae XII praelato domestico et assistente, eiusdemque et Sanctae Sedis Apostolicae ad totum Regnum Poloniae, et Magnum Ducatum Lithuaniae, cum facultatibus legati de latere nuntio apostolico, meque notario et cancellario infrascripto, comparens personaliter r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Stanislaus Świącicki abbatiae Tremesnensis administrator, exposuit optare se ex gratia et benignitate praefati sanctissimi domini nostri domini Innocentii Divina Providentia Papae XII, eiusque Sanctae Sedis Apostolicae promoveri ad ecclesiam cathedralem Kiioviensem vacantem per translationem ill[ustrissimi]mi rev[erendissimi]mi domini Andrea Załuski ad episcopatum Płocensem, ipsius ecclesiae Kiioviensis ultimi et immediati possessoris, deque eadem sibi provideri, ad petitionem serenissimi olim regis Poloniae, ideo ea, qua decet reverentia instetit apud Dominationem Suam ill[ustrissimi]mam et rev[erendissimi]mam, ut processum inquisitionis super vita, moribus et idoneitate eiusdem, aliisque requisitis et super statu ecclesiae Kiioviensis formare dignaretur, iuxta sacri Concilii Tridentini decreta et constitutiones felicitis recordationis Gregorii XIV ad hoc, ut Sanctitas Sua de omnibus et singulis bene informata possit et valeat pro sua pietate et zelo circa optimum dictae ecclesiae statum totiusque cleri et populi commodum et utilitatem consultius et utilius prospicere et providere omnibus.

Qui illustrissimus et rev[erendissimi]mus d[omi]nus nuntius apostolicus suprascriptus praedicta admisit, si et in quantum, et petitionem huiusmodi iustam et rationabilem attendens, dictum processum confici, iuramenta et depositiones testium per Dominationem Suam ill[ustrissimi]mam et rev[erendissimi]mam ex officio vocandorum, et super interrogatoriis solitis examinandorum recipi, caeteraque omnia necessaria et opportuna fieri, et per me notarium et cancellarium infrascriptum rogari, ac omnia et singula in publicam formam et publicum instrumentum sive documentum redigi mandavit, ut ita redacta suis loco et tempore ad praefatum sanctissimum dominum nostrum Papam transmitti valeant.

[86r-86v, 93r] „Professio Fidei”: Ego Nicolaus Stanislaus Świącicki etc., v. Biliński ANP XXIV/1, p. 371-372.

[Attestatio Nuntii]

[86v] ^a-Ego infrascriptus fidei professionem, supra descriptam de verbo ad verbum emissam a r[everendo] p[at]re d[omino] Nicolao Stanislao Świącicki, nominato ad episcopatum Kiioviensem, recepi et ita testor manu propria.

I[oannes] A[ntonius] archiepiscopus Thebarum nuntius apostolicus^a

^{a-a} autographum

[Attestatio Notarii]

[86v] In Dei Nomine, Amen. Omnibus et singulis, quorum interest, fidem facio et attestor ego infrascriptus, quod anno a Nativitate eiusdem Domini nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, indictione Romana quarta, die vero vigesima quarta mensis Julii constitutus personaliter r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Stanislaus Świącicki commendatarius abbas Tremesnensis canonicorum regularium Lateranensium coram ill[ustris]si[m]o et rev[erendissim]o domino d[omi]no [93r] Ioanne Antonio de Via archiepiscopo Thebarum et in Regno Poloniae nuntio ap[osto]lico, flexis genibus et Sacrosanctis Evangeliiis, quae prae manibus habebat, tactis, medio iuramento, supradictam fidei professionem de verbo ad verbum, prout iacet, in manibus eiusdem ill[ustris]si[m]i et rev[erendissim]i d[omi]ni nuntii ap[osto]lici emisit, praesentibus perillustribus rev[erendissim]o et adm[odum] rev[erendo] d[omino] d[omino] Caietano De Ovis auditore g[ener]ali et iudice, et Petro Maria Ruggieri secretario scripti ill[ustris]si[m]i et rev[erendissim]i d[omi]ni nuntii ap[osto]lici, domesticis et familiaribus testibus ad praemissa habitis atque rogatis.

Actum Varsaviae die, mense, anno, quibus supra, et in fidem me subscripsi signoque mei notariatus publici communi.

^a-Adalbertus Skwarczyński pub[li]cus sua auctoritate ap[osto]lica nuntii et nunciaturae apostolicae in Regno Poloniae cancellarius manu propria^a

^{a-a} *autographum*

[87r] Interrogatoria ex officio facienda testibus secreto vocandis et examinandis super qualitate et requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Stanislai Świącicki abbatis commendatarii Tremesnensis promovendi, si placuerit sanctissimo [domino nostro], ad supplicationem serenissimi olim regis Poloniae, ad cathedralem ecclesiam Kiioviensem.

1.um.

An testis cognoscat r[everendum] p[atrem] d[ominum] Nicolaum Stanislaum Świącicki commendatarium abbatem Tremesnensem, quomodo, a quanto tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus?

2.um.

An sciat, in qua civitate et loco, vel dioecesi sit natus et quae sit causa scientiae?

3.um.

An sciat eum natum esse ex legitimo matrimonio atque honestis et catholicis parentibus, et quae sit causa scientiae?

4.um.

An sciat, cuius aetatis sit, praesertim, an expleverit annum trigesimum, et quae sit causa scientiae?

5.um.

An sciat eum esse in sacris ordinibus constitutum, a quo tempore citra, et praesertim ante sex menses, et quae sit causa scientiae?

6.um.

An sciat eum esse in ecclesiasticis functionibus diu versatum in susceptione Sacramentorum frequentem et devotum, et quae sit causa scientiae?

7.um.

An sciat eum semper catholice vixisse et in fidei puritate permansisse, et quae sit causa scientiae?

8.um.

An sciat eum praeditum esse innocentia vitae bonisque moribus et, an sit bonae conversationis et famae, et quae sit causa scientiae?

9.um.

An sciat eum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem, et quae sit causa scientiae?

10.um.

An sciat eum aliquo gradu in iure canonico vel in sacra theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore et quo fructu ipse theologiae vel iuri canonico operam dederit, et an vere ea doctrina polleat, quae in episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?

11.um.

An sciat eum aliquo munere functum esse vel circa curam animarum aut regimen alicuius ecclesiae se exercuisse, et quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam quam quoad prudentiam, integritatem et mores, et quae sit causa scientiae?

12.um.

An sciat eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores sive doctrinam, vel aliquo corporis aut animi vitio, aliove impedimento canonico teneri, quominus possit ad episcopatum Kiioviensem promoveri, et quae sit causa scientiae?

[87v] 13.um.

An sciat, quod praefatus r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Stanislaus Święcicki possideat aliqua beneficia, quaenam sint et quantus singulorum redditus, an obligent ad residentiam, an ea in titulum vel in commendam, an pacifice vel non pacifice possideat, et an possit cedere in praeiudicium alicuius, si eorundem beneficiorum retentio ipsi concederetur, et quae sit causa scientiae?

14.um.

An eum idoneum existimet ad bene regendam ecclesiam cathedralem, et praecipue Kiioviensem, ad quam ipse est promovendus, an dignum, qui ad illam promoveatur, et an ipsius promotionem eidem ecclesiae et dioecesi utilem et proficuum futuram esse censeat, et quare ita existimet?

Interrogatoria super statu ecclesiae Kiioviensis.

1.um.

An testis sciat, in qua provincia sita est civitas Kiioviensis, cuius qualitatis et magnitudinis sit, quot completur domibus et a quot Christifidelibus habitetur, cuius dominio in temporalibus subiaceat, et quae sit causa scientiae?

2.um.

An sciat in illa civitate esse ecclesiam cathedralem, sub qua invocatione, cuius structurae et qualitatis, an aliqua reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

3.um.

An sciat, cui episcopo sit suffraganea, et de causa scientiae.

4.um.

An sciat, quot et quales sint in dicta ecclesia dignitates et canonicatus ac alia beneficia ecclesiastica, et quis numerus presbyterorum et clericorum ibi in Divinis servientium, quae sit dignitas maior post pontificalem, qualis sit reditus canonicatus et aliorum beneficiorum, et an adsit praebenda theologalis et poenitentiaria, et quae sit causa scientiae?

5.um.

An in ea cura animarum exerceatur, an sit in ea fons baptismalis, et de causa scientiae.

6.um.

An habeat sacrarium sufficienter instructum sacra suppellectili caeterisque rebus ad Divinum cultum ac etiam pontificalia exercenda necessariis; chorum, organum, campanile cum campanis, coemeterium, et quae sit causa scientiae?

7.um.

An sint in ea corpora vel aliquae insignes reliquiae sanctorum, quomodo asserventur, et quae sit causa scientiae?

8.um.

An habeat domum pro episcopi habitatione, ubi et qualem, quantum distet ab ecclesia, et an reparatione indigeat, et quae causa scientiae?

9.um.

An sciat valorem reddituum mensae episcopalis, ad quam summam annuatim ascendunt, in quibus consistunt, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quorum favorem [88r] dicta pensio est reservata, et quae sit causa scientiae?

10.um.

Quot existunt in dicta civitate ecclesiae parochiales, et an unaquaeque habeat fontem baptismalem, quot item existunt in illa collegiatae, quot monasteria virorum et mulierum, quot confraternitates et hospitalia, et an ibi sit mons pietatis, et quae sit causa scientiae?

11.um.

Quantum sit ampla dioecesis Kiioviensis, quot et quae loca complectatur, et quae sit causa scientiae?

12.um.

An in ea erectum sit seminarium, quot in eo aluntur pueri, et quae sit causa scientiae?

13.um.

An ipsa ecclesia Kiioviensis vacet, quomodo, a quo tempore citra, et quae sit causa scientiae?

Die quinta Iulii 1696.

Examinatus fuit per ill[ustrissim]um ac rev[erendissim]um d[omi]num nuntium apostolicum suprascriptum, in camera solitae audientiae suae ill[ustrissim]ae et rev[erendissim]ae dominationis ill[ustrissim]us et rev[erendissim]us d[omi]nus Nicolaus Popławski³, episcopus Livoniae et Pylthinesis, testis ex officio vocatus, et per dominationem suam ill[ustrissim]am et rev[erendissim]am secreto examinatus. Qui delato sibi iuramento veritatis dicendae, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissim]ae ac rev[erendissim]ae tacto pectore iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis r[ever]endi patris d[omi]ni Nicolai Stanislai Świącicki administratoris abbatiae Tremesnensis Canonorum Regularium Lateranensium promovendus, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, ad supplicationem serenissimi olim regis Poloniae ad cathedralem ecclesiam Kiioviensem dixit et deposuit, prout infra videlicet.

Ad 1.um.

R. Novi r[everendum] p[atrem] d[ominum] Nicolaum Stanislaum Świącicki fere a 24. annis, ex quo fuimus ambo in aula serenissimorum regum, et etiam ill[ustrissim]i d[omi]ni episcopi Posnaniensis antecessoris, caeterum non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris nec inimicus, aemulus vel odiosus.

Ad 2.um.

Est natus in dioecesi Posnaniensi, in qua habet diversa bona verum de praeciso loco nihil constat.

Ad 3.um.

R. Natus est ex legitimo matrimonio et catholicis nobilesque parentibus causaque scientiae est, non tantum quod noverim matrem ipsius, verum etiam, quod sit praelatus, nempe decanus in cathedrali ecclesia Posnaniensis, ad quam non admittuntur, nisi legitime nati et ex nobili prosapia.

Ad 4.um.

R. Aetatem praecisam non novi, sed ex notitia personae [88v] et aspectu puto attingere quinquagesimum annum aetatis.

³ Nicolaus Popławski, 15 I 1685–21 VII 1710.

Ad 5.um.

R. Est sacerdos forte a 20. annis, vidi enim illum saepius celebrantem in ecclesia Varsaviensi, tempore, quo erat scholasticus eiusdem ecclesiae.

Ad 6.um.

R. Valde est versatus in ecclesiasticis functionibus et frequens in susceptione Sacramentorum; causaque scientiae ex conversatione habita cum ipso a 24. annis, uti supra enunciatum.

Ad 7.um.

R. Non tantum catholicae vixit et in fidei puritate permansit, sed pietatem et zelum, quacumque data occasione, prae se tulit.

Ad 8.um.

R. Quod temporibus transactis fuerit aliquis rumor contra ipsius morum innocentiam, non possum negare, sed tunc putem similia potius ex aemulatione et simultatibus accidere, quam ex veritate rei et etiam a multis annis non audiuntur similia.

Ad 9.um.

R. Est vir gravis et prudens, et V[estrae] S[ancitatis] Il[lustrissimae] rerum praestantissimus, quod saepius probavit in administratione episcopatus Posnaniensis tempore praedecessoris episcopi moderni, in praesidentia supremi iudicii tribunalitii et ex legationibus in Italia et Belgio, immo ad ipsummet Sanctissimum cum singulari gloria impletis.

Ad 10.

R. Ordinarie nobiles non curant promotiones graduum et doctoratum, sed hoc non impedit, quod d[omi]nus nominatus habeat sufficientem doctrinam et talem, quae deceat episcopum populi sui, doctorem et magistrum; causaque scientiae eadem, quae supra.

Ad 11.

R. Quas habuit subsequenter parochiales ecclesias Rokitnensem primo, postea Brochoviensem, quibus resignatis obtinuit officialatum Varsaviensem, in quibus optime se gessit, tum quoad doctrinam, tum etiam quoad prudentiam diligentiam et caetera.

Ad 12.

R. Nunquam publicum dedit scandalum, quod sciam, neque quoad doctrinam neque quoad mores, sicuti nec ullo tenetur animi vitio, quominus possit ad episcopatum promoveri, solum habet aliquem defectum in indice dextrae manus, cuius superior articulus aliquo infortunio ablatus fuit, verum cum de praesenti celebret, puto non esse impedimentum canonicatus.

Ad 13.

R. Possidet abbatiam Tremesnensem in commendam circiter [89r] a 12. annis pacifice, et decanatum Posnaniensem forte ab octo annis, quorum beneficiorum, si retentio ipsi concedatur, nullum sequitur praediudicium, causaque scientiae est, quia ego quoque fui in cathedrali Posnaniensi et moris

est, ut episcopi, illi praesertim, qui habent ecclesias ab inimicis catholicorum occupatas, aliquam abbatiam in commendam obtineat.

Ad 14.

R. Ex praedictis patet dominum nominatum esse maxime idoneum ad bene regendam ecclesiam Kiioviensem, censeoque ipsam promotionem futuram esse utilem illi ecclesiae et dioecesi deploratae.

Extunc finito examine ill[ustrissimus] d[omi]nus nuntius ill[ustrissimum] d[omi]num episcopum licentiavit, iniuncto ei, ut se suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur, videlicet:

Et ita deposui ego Nicolaus Popławski episcopus Livoniae et Piltinensis manu propria.

Die nona.

Examinatus fuit per ill[ustrissimum] rev[erendum] d[omi]num, quem supra et ubi supra, adm[odum] r[everendus] pater Carolus Mauritius Vota⁴ Societatis Iesu Presbyter theologus regius, aetatis suae annorum 67, prout asserit et ex aspectu eius apparet, testis ex officio vocatus et per dominationem suam ill[ustrissimam] et rev[erendissimam] secreto examinatus, qui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus ill[ustrissimae] et rev[erendissimae] dominationis suae tactis etc., iuravit etc., ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Stanislai Świącicki administratoris abbatiae Tremesnensis Canonorum Regularium Lateranensium promovendi, si Sanctissimo D[omi]no nostro placuerit, ad supplicationem serenissimi olim regis Poloniae ad cathedralem ecclesiam Kiioviensem, dixit et deposuit, prout infra videlicet:

Ad 1.um.

R. Novi r[everendum] p[atrem] d[ominum] Świącicki a 13 ferme annis occasione ipsa muneris referendarii regii, quod implebat a tempore, quo eram vocatus ad aulam, caeterum non sum ipsius consanguineus nec cognatus nec affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus.

Ad 2.um.

R. Non scio, quia illum tantum novi in aula.

Ad 3.um.

R. Publice habetur pro nato ex legitimo matrimonio, immo cum sit decanus Posnaniensis et abbas Tremesnensis, necessario debet esse nobilis, iuxta consuetudines Regni.

Ad 4.um.

R. Est plus quam quadragenarius, prout apparet ex ipso aspectu.

⁴ Carolus Mauritius Vota, iesuita, secretarius regius temporibus Ioannis III Sobieski.

[89v] Ad 5.um.

Suppono ipsum esse in sacris ordinibus constitutum, et pro tali habetur in aula.

Ad 6.um.

R. Cum ego semper fuerim in aula apud serenissimum regem, non potui ista notare in ecclesiis Urbis vel Regni.

Ad 7.um.

R. Semper catholice vixit et in fidei puritate permansit, immo quacumque data occasione, cum summa pietate et zelo adhaesit Sanctae Sedi eiusdemque ministris.

Ad 8.um.

R. A tempore, quo ipsum novi, singularem innocentiam vitae et morum in ipso notavi, nec quidquam contrarium unquam audivi.

Ad 9.um.

R. Gravem, prudentem usuque rerum praestantem saepius expertus sum, tam in negotiis Regni quam in aliis particularibus, hocque facile percipere poteram, quia semper lateri serenissimi regis adhaesi.

Ad 10.

Non scio, an sit graduatus, etsi non dubitem de insigni capacitate ipsius saltem in iure canonico, cuius notitia est necessaria referendariis et ministris Regni, puto itaque ea doctrina et experientia pollere, quae in episcopo requiruntur ad hoc, ut alios docere possit.

Ad 11.

R. Scio esse abbatem cum iurisdictione, et non dubito, quin optime se gesserit, etiamsi non habeam certam notitiam.

Ad 12.

R. Quod dederit publicum scandalum, non constat, etsi aliqui rumores, de quibus tamen mihi certo non constat, ante plures annos fuerunt circa ipsius mores, vel falsos existimo vel per lapsum tot annorum integre peractae vitae oblitterati sunt, de vitiis corporis vel animi aliisque canonicis impedimentis mihi non constat, praeter aliquem defectum in indice manus dextrae.

Ad 13.

R. Illum possidere abbatiam, commendam et aliquam aliam praelaturam.

Ad 14.

R. Ipsum maxime idoneum puto ad bene regendam ecclesiam cathedralem, censeoque ipsam promotionem futuram esse utilem et proficuum ecclesiae Kiioviensi.

Extunc finito examine ill[ustriss]imus d[omi]nus testem dimisit, iniuncto ei, ut se suae depositioni subscribat, prout fecit ut infra.

Ita deposui pro veritate ego Carolus Mauritius Vota, Societatis Iesu theologus regius manu propria.

Die decima quarta.

[90r] Examinatus fuit per ill[ustrissi]mum et rev[erendissi]mum d[omi]num, quem supra et ubi supra, adm[odum] r[everendus] p[ater] Ambrosius Skopowski⁵ Ordinis Praedicatorum congregationis sancti Ludovici Bertrandi, regiarum m[aiestat]um confessarius, aetatis suae annorum sexaginta quattuor, prout asserit et ex aspectu eius apparuit, testis ex officio vocatus et per dominationem suam ill[ustrissi]mam et rev[erendissi]mam secreto examinatus, qui delato sibi iuramento de veritate dicenda, prout tactis, etc. iuravit etc. in manibus dominationis suae ill[ustrissi]mae et rev[erendissi]mae ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Stanislai Świącicki administratoris abbatae Tremesnensis Regularium Lateranensium promovendi, si Sanctissimo D[omi]no n[ost]ro placuerit, ad episcopatum Kiioviensem. Dixit et deposuit, prout infra videlicet.

Ad 1.um.

R. R[everendum] p[atrem] d[ominum] Nicolaum Stanislaum Świącicki fere a 20. annis novi occasione, qua frequentabat nostrum monasterium, quod fuit fundatum ab ipsius fratre episcopo Chełmensi; caeterum non sum ipsius consanguineus, cognatus aut affinis, nec nimium familiaris, inimicus, aemulus, vel odiosus.

Ad 2.um.

R. Non scio, sed ordinarie nobiles nascuntur in suis arcibus in agro.

Ad 3.um.

R. Non novi parentes ipsius, attamen episcopus Chełmensis non haberet ipsum pro fratre, nisi ex proprio patre et ex legitimo matrimonio natus esset.

Ad 4.um.

R. Ex facie apparet eum excessisse annum quadragesimum et forte non distare a quinquagesimo.

Ad 5.um.

R. Est presbyter a multis annis, celebrantemque saepissime vidi.

Ad 6.um.

R. Puto me illum audivisse cantantem solemne Sacrum, sed non bene recordor, caeterum de frequentia et devotione in suscipiendis Sacramentis possum testari usque ad initium anni transacti, quo tempore missus fuit in Belgium regius ablegatus, unde non rediit, nisi ultimis istis diebus, paulo ante obitum serenissimi regis.

Ad 7.um.

R. Nunquam audivi ipsum nec in minimo defecisse a catholico ritu vel puritate fidei.

⁵ Ambrosius Skopowski, Dominicanus Observans, confessarius Ioannis III Sobieski regis.

Ad 8.um.

R. Puto ipsum esse praeditum innocentia vitae bonisque moribus; saltem gaudet bona fama, qua deficiente, non [90v] habuisset aestimationem aulae nostrae, sicuti habebat.

Ad 9.um.

R. Non dubito de prudentia ipsius cum serenissimus rex illum saepissime impenderit in negotiis magni momenti.

Ad 10.

Mihi non constat, an sit graduatus in iure canonico vel in sacra theologia, verum tamen puto ex supradictis ipsum pollere ea doctrina, quae in episcopo requiritur ad docendos alios.

Ad 11.

Puto illum fuisse parochum in aliqua ecclesia, unde postea electus fuit ad officialatum Varsaviensem, quo munere, vivente praedecessore moderni episcopi, functus est egregie.

Ad 12.

R. Nunquam audivi illum scandalum dedisse nec circa fidem, nec circa mores, doctrinam aut alia, puto etiam nullo canonico impedimento teneri in animo vel in corpore, praeter parvum defectum in indice manus dextrae (qui non videtur enormis) quominus ad infulas episcopales promoveri possit.

Ad 13.

R. Possidet abbatiam Tremesnensem in commendam, cuius redditus non scio, puto tamen ipsum retentionem non cessuram in praeiudicium tertii, praecipue cum ipsius episcopatus in hostico.

Ad 14.

R. Puto illum esse idoneum ad regendam ecclesiam cathedralem, censeoque illius promotionem proficuum futuram illi ecclesiae, quia semper in rebus agendis dexteritatis experimentum praebuit.

Extunc finito examine testis dimissus, iniuncto ipsi, ut se suae depositioni subscribat, prout fecit, ut infra. Ita deposui pro veritate ego frater Ambrosius Skopowski sacerdos professus Ordinis Praedicatorum confessarius maiestatum regiarum Poloniae.

Die 16ta.

Examinatus fuit per ill[ustrissim]um et rev[erend]um d[omi]num, quem supra et ubi supra, adm[odum] r[evere]ndus pater Adamus Krasnodębski Societatis Iesu s[acrae] th[eologiae] d[octo]r et sacrorum canonum professor, aetatis suae annorum 69, prout asserit et ex aspectu eius apparet, testis ex officio vocatus et per dominationem suam ill[ustrissim]am et rev[erendissim]am [91r] secreto examinatus, cui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissim]ae et rev[erendissim]ae tactis etc.

iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis r[evere]ndi patris d[omini] Nicolai Stanislai Świąćicki administratoris abbatae Canonorum Regularium Lateranensium promovendi, si S[antissi]mo D[omi]no n[ost]ro placuerit, ad supplicationem serenissimi olim regis Poloniae, ad ecclesiam Kiioviensem dixit et deposuit, prout infra, videlicet.

Ad 1.um.

R. Novi r[everendum] p[atrem] d[ominum] Nicolaum Stanislaum Świąćicki a 16 fere annis, cum essem lector theologiae eodem tempore, quo ipse agebat officialem Varsaviensem praedefuncti episcopi Posnaniensis, caeterum non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nec nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus.

Ad 2.um.

R. Non scio.

Ad 3.um.

R. Possibile habetur, tanquam ill[ustrissimus] et nobilis, alias non fuisset referendarius Regni, nec praelatus in ecclesiis cathedralibus, nec praesidens in supremo tribunali, ad quae omnia requiritur legitimitas et nobilitas ex utroque stipite.

Ad 4.um.

R. Ex facie ipsius apparet eum non esse multo minorem quinquagenario.

Ad 5.um.

R. Est sacerdos saltem a tempore, quo cum novi, causaque scientiae est, quia illum saepius celebrantem vidi.

Ad 6.

R. Est versatus, quantum adverti in ecclesiasticis functionibus, nec minus devotus et frequens est in susceptione Sacramentorum, saepissime enim ipsius confessiones excepi.

Ad 7.

R. Nunquam audivi aliquid contra ipsius pietatem, quodque posset fidei puritatem, quam professus est, violare.

Ad 8.um.

R. Nunquam audivi quidquam in praeiudicium ipsius famae aut innocentiae vitae.

Ad 9.um.

Non dubito de prudentia et praestantia ipsius, cum aliquoties fuerit adhibitus a serenissimo pie defuncto in legationibus maximi momenti.

Ad 10.

R. Nobiles nostrates ordinarie negligunt hosce gradus, quare non puto ipsum simili honore esse insigni[91v]tum, nec in iure canonico nec in sacra theologia, existimo tamen ea pollere doctrina, quae in episcopo requiritur ad suam regendam ecclesiam.

Ad 11.

Non scio, an unquam habuerit curam animarum, tantum audivi collatam ipsi fuisse abbatiam, sed ignoro, an administraverit vel non.

Ad 12.

R. Non scio, an unquam dederit aliquod scandalum publicum, sicuti nec mihi perspectum est, an ullo laboret corporis vel animi vitio aliove canonico impedimento, quominus ad episcopatum promoveri possit, nisi pro tali habeamus defectum aliquem in indice manus dextrae, quo tamen non obstante, celebrat.

Ad 13.

R. Non scio qualitatem beneficiorum, etiamsi certo concludere possim eundem possidere beneficia in Gnesnensi dioecesi, quia tanquam membrum illius ecclesiae fuit praeses in supremo tribunali, si quae tamen habet beneficia, poterunt immo debebunt ipsi servari, quia ecclesia Kiioviensis est tota desolata et ab hostibus catholici nominis occupatur.

Ad 14.

R. Si aliqua utilitas posset concedi statui praesenti ecclesiae Kiioviensi, illam certe procurabit rev[erendi]mus nominatus propria industria et sedulitate, quare proficuum censeo futuram eidem ecclesiae et dioecesi ipsius promotionem ad infulas episcopales.

Extunc finito examine, testem ill[ustrissi]mus d[omi]nus nuntius licentia-
vit, iniuncto, et ut se subscribat, prout fecit.

Adamus Krasnodębski Societatis Iesu s[acrae] th[eologiae] d[octo]r et s[anctorum] canonum professor ita deposui pro veritate manu propria.

Die 23.

Examinatus fuit per ill[ustrissi]mum et rev[erend]um d[omi]num, quem supra et ubi supra, adm[odum] r[evere]ndus pater Vincentius Urbanovius Ordinis Praedicatorum s[acrae] th[eologiae] praesentatus, aetatis suae annorum 54, prout asserit et ex aspectu eius apparet, testis ex officio vocatus et per dominationem suam ill[ustrissi]mam et rev[erendissi]mam secreto examinatus; qui delato sibi iuramento veritatis dicendae, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissi]mae et rev[erendissi]mae tactis etc. iuravit etc., [92r] ad opportunas interrogationes super statu ecclesiae Kiioviensis, dixit et deposuit prout infra videlicet.

Super 1.o.

R. Civitas Kiioviensis est sita ad limites Volhynia sub Moscho, continet quinque millies domuum, habitatur a Graecis schismaticis; si qui sunt catholici, clandestine vivunt, et haec scio, quia bis transivi per illam civitatem et mansi in Moschovia per novem menses.

Super 2.o.

R. Cathedralem obtinet metropolita Kiioviensis ipsiusque titulus mihi est ignotus.

Super 3.o.

R. Est metropolitana ecclesia non suffraganea et in spiritualibus pendet a patriarcha schismatico Moschorum.

Super 4.o.

Et usque ad octavam R[esurrectionis] omnia vitia reperiebantur Kiioviae tempore, quo iuberat Polonis, modo vero per mutationem domini omnia subversa.

Super 9.o.

R. Nulli sunt reditus ab annis fere triginta, scilicet postquam fuit occupata a Moschis.

Super 10.o.

R. Refero me ad superius dicta.

Super 11.o.

R. Dioecesis Kiioviensis erat amplissima, extendens se ad quadraginta milliaria Polonica in latitudine, et plus etiam in longitudine.

Super 12.o.

Non est seminarium.

Super 13.o.

R. Titulus episcopi Kiioviensis vacat a quattuor annis tunc, cum ill[ustrissimus] d[ominus] Załuski translatus fuit ad episcopatum Płocensem.

Extunc finito examine, testis dimissus, iniuncto ei, ut se suae depositioni subscriberet, prout fecit, ut infra.

Ita deposui pro veritate fr[ater] Vincentius Urbanovius sacrae theologiae praesentatus manu propria.

[Attestatio Nuntii]

^a-Supradictis testibus adhibendam esse plenam fidem censeo et de promovendo bene iudico.

I[ohannes] A[n-tonius] archiepiscopus Thebarum nuntius apostolicus^a

^{a-a} *autographum*

Deinde idem r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Stanislaus Świącicki ad dicendum de legitimis natalibus, ordinibus rite susceptis aliisque etc. exhibuit documentum infrascriptum, Stanislaus Hyacinthus in Świącice Świącicki⁶ episcopus [92v] Chelmsensis nominatus Culmensis abbas Lubinensis, quorum interest, notum testatumque facio fide episcopali.

⁶ Stanislaus Hyacinthus Świącicki, epus Culmensis annis 1677–1696, abbas commendatarius Lubinensis, anno 1696 epus nominatus Chelmsensis.

Quia ego anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo ex illustri prosapia natum ill[ustrissi]mum et rev[erendissi]mum Nicolaum in eadem Świącice Świącicki ex legitimis parentibus, scilicet Abrahamo Świącicki de stemmate Jastrzębiec seu Accipiter, et matre Anna de Lubikowo Lubikowska de stemmate Gozdawa procreatum, in ecclesia parochiali Zuzeliensi baptisavi eique nomen Nicolaus imposui. Et cum eadem ecclesia Zuzeliensis⁷ per incursionem hostilem Sueticam cum libris metrices et tota supellectili combusta sit, hoc testimonium eidem do et consigno. Tempore autem eiusdem belli Suetici, dum in Dantiscana urbe⁸ manebamus, eundem Nicolaum nomine Stanislaus confirmavi et Sacrum Confirmationis Sacramentum eidem contuli. Postmodum ante abdicationem regis Poloniae Ioannis Casimiri⁹ Varsaviae in ecclesia collegiata Sancti Ioannis Baptistae, in capella Beatissimae Mariae Virginis eundem supradictum Nicolaum ad quatuor ordines minores, observata omni solennitate, promovi et ordinavi tandem ad subdiaconatum et diaconatum ac presbyteratum usque, in eadem ecclesia distinctis temporibus consecravi et presbyterum feci. De quo, quod ita est, fidem facio et verbo episcopali attestor. Dabantur circa cathedram meam episcopalem in Russia permanentem Skierbiewicis, die decima octava mensis Iulii anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto.

Nicolaus Świącicki

Episcopus Chełmensis

(locus + sigilli)

Quibus omnibus et singulis, ut supra, gestis idem r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Stanislaus Świącicki petiit subscriptum processum, seu illius copiam, in forma authentica extradi, et sigillo munitam consignari ad effectum ad Almam [94r] Urbem transmittendi pro expeditione omnis.

Quocirca nos Ioannes Antonius De Via archiepiscopus Thebarum et nuncius apostolicus antedictus processum clausum et sigillatum, seu verius copiam illius, in publica et authentica forma concedendum et extradendum esse duximus, decernentes praefatis omnibus et singulis, tanquam rite et legitime gestis, ubique locorum plenariam et indubitam fidem ab omnibus et singulis in iudicio et extra adhibendam esse. In quorum praemissorum fidem et testimonium praesentes manu nostra ac infrascripti notarii cancellarii nostri subscriptas, sigilli nostri impressione communiri fecimus.

Datum Varsaviae, die 30 mensis Iulii anno D[omi]ni millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto.

^a-I[oa]nnes] A[n]tonius] archiep[iscopu]s] Thebarum nuntius ap[osto]licus^{-a}

^{a-a} *autographum*

[sigillum aridum]

⁷ Zuzela.

⁸ Gedania.

⁹ Ioannes Casimirus rex, regnum abdicavit anno 1668.

[Attestatio Notarii]

Et quia ego Adalbertus Skwarczyński publicus sacra auctoritate ap[osto]lica notarius et ill[ustrissi]mi ac rev[erendissi]mi d[omi]ni d[omi]ni Ioannis Antonii De Via archiepiscopi Thebarum et nuncii ap[osto]lici in Regno Poloniae etc. cancellarius memoratae inquisitioni et testium examini per eundem ill[ustrissi]mum et rev[erendissi]mum dominum nuntium ap[osto]licum habitae et receptae personaliter requisitus interfui, necnon iuramenta testium praenomina-torum solemniter vidi et audivi, eorumque dicta in his scriptis fideliter redeg-i. Idcirco hoc examen et totum hunc inquisitionis processum propria manu subscripsi. Actum Varsaviae in cancellaria Nuntiaturae Apostolicae Regni Poloniae etc. hac die ultima Iulii anno D[omi]ni 1696.

Adalbertus Skwarczyński pub[lic]us notarius s[anct]a auc[toritate] ap[ostoli]ca et cancellarius, qui supra manu propria.

[94v] Ex deductis in praesenti processu censeo supradictum illustrissimum dominum Nicolaum Stanislaum Swiecieski presbyterum Posnaniensis dioecesis esse dignum, ut supradictae ecclesie Kiioviensi in episcopum praeficiatur et pastorem¹⁰.

^a-Carolus cardinalis Barberinus manu propria^{a11}

^a-A[lderano] cardinalis Cybo^{a12}

^a-Franc[isc]us Chr. cardinalis Moidalchini^{a13}

^a-B[enedetto] Pamphilius^{a14}

[95v] Chioviensi 1697

¹⁰ Manu Innocentii XII papae.

¹¹ Manu card. Caroli Barberini (1630–1704), qui fuit consanguineus Urbani VIII papae. In consistorio die 23 VI 1653 habito creatus est cardinalis-diaconus ab Innocentio X. Anno 1698 praefectus Congregationis de Propaganda Fide. Anno 1702 legatus a latere Neapolitanus Philippo V, regi Hispaniae, gratulatus est. Cardinalis-protector Poloniae. Conclavibus annis 1655, 1667, 1669–1670, 1676, 1689, 1700 habitis interfuit.

¹² Manu card. Alderani Cibo (Cybo, 1613–22 VII 1700). Referendarius Signaturae Apostolicae Iustitiae et Gratiae. Anno 1644 maiordomus palatiorum apostolicorum. In consistorio die 6 III 1645 habito cardinalis-presbyter ab Innocentio III factus est. Anno 1646 legatus pontificius Urbinatensis, anno 1648 Romandiolanus. Anno 1651 Ferrariensis. Anno 1656 episcopus Iesicus. Episcopatu se abdicavit anno 1671. Secretarius status annis 1676–1689 Innocentio X pontifice maximo. Anno 1679 cardinalis-episcopus Palestrinus. Annis 1677–1690 legatus Avennionensis. Anno 1680 cardinalis-episcopus Tusculi Inferioris. Anno 1683 cardinalis-episcopus Portucalensis et Rufinopolitanus. Vice-decanus Collegii Cardinalium. Anno 1687 cardinalis-episcopus Ostiensis et Veliternus. Anno 1687 decanus Collegii Cardinalium. Conclavibus annis 1667, 1669–1670, 1676, 1689, 1691 habitis interfuit.

¹³ Manu card. Moidalchini (Maldacchini, Maldachini) Francisci (Angeli) (1630–10 vel 13 VI 1700). Abbas commendatarius Martinopolitanus, Sancti Gaudentii Ariminensis, S. Pancratii extra muros. In conclavi die 7 X 1647 habito cardinalis-diaconus ab Innocentio X factus est. Conclavibus annis 1655, 1667, 1669–1670, 1676, 1689, 1691 habitis interfuit.

¹⁴ Manu card. Benedicti Pamphili (1653–1730), qui fuit consanguineus Innocentii X. Ad Ordinem Sancti Ioannis Hierosolymitani sese applicavit. Cardinalis-diaconus ab Innocentio XI in consistorio die 1 IX 1681 habito factus est. Anno 1685 praefectus Tribunalis Signaturae

A. 2.

Acta processus informativi Nicolai Wyżycki¹ canonici regularis Lateranensis, abbatis Cervenscensis in episcopatum Chelmemsem, post ep[iscop]um Chelmemsem Stanislaum Hyacinthum Świącicki², qui episcopus Culmensis factus est. Processui interfuit episcopus Livonicus Nicolaus Popławski³, orator sacer regius, Augustinianus Chrysostomus Gołębiowski, theologus et secretarius regius, Iesuita Carolus Mauritius Vota, et Paulus Chotecki archidiaconus Chelmemensis, Lucas Okozalski, prior Conventus Varsaviensis Dominicanorum, Casimirus Wiwarczycki, canonicus cathedrae Chelmemensis.

Or.: ASV Arch. Concist., Processus Consist. 93, f. 105r-114v.

[105r] Processus informativus super vita, moribus, doctrina et idoneitate caeterisque requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Wyżycki⁴ abbatis Cervenscensis Canonice Regularium Lateranensium promovendi (si Sanctissimo Domino nostro placuerit) ad ecclesiam cathedralem Chelmemsem, vacaturam per translationem (si sequatur) ill[ustriss]mi et rev[erendiss]mi domini Stanislaui Hyacinthi Świącicki⁵ ad episcopatum Culmensem, dictae cathedralis ecclesiae Chelmemensis ultimi et immediati possessoris; nec non super statu eiusdem ecclesiae, coram ill[ustriss]mo et rev[erendiss]mo d[omi]no d[omi]no Ioanne de Via archiepiscopo Thebarum et nuntio apostolico in Regno Poloniae.

[105v] In nomine Domini Amen.

Anno a Nativitate eiusdem Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, indictione Romana quarta, die vero decima quinta mensis Octobris, pontificatus autem S[anctiss]mi in Christo Patris et d[omi]ni n[ost]ri d[omi]ni Innocentii Divina Providentia Papae XII. anno VII, Varsaviae.

Apostolicae Iustitiae et Gratiae. Anno 1690 legatus Bononiensis. Cardinalis prodiaconus. Anno 1700 protector et superannonus portus Antiatii. Anno 1704 Bibliothecarius S.R.E. Conclavibus annis 1689, 1691, 1700, 1724 habitis interfuit.

¹ Nicolaus Gerardus Wyżycki. Natus in Jazłowiec, baptizatus 18 III 1649, abbas Monasterii Cervenscensis, parochus Mestoviensis. Die 11 IV 1699 episcopus Chelmemensis. Mortuus est die 5 I 1705.

² Stanislaus Hyacinthus Świącicki, tit. Episcopus Spigacensis et suffraganus Samogitiensis. Annis 1677–1696 epus Chelmemensis, abbas commendatarius Lubinensis, anno 1696 episcopus nominatus Culmensis.

³ Nicolaus Popławski, annis 1685–1701 episcopus Livonicus (Vendensis), aepus Leopoliensis anno 1710.

⁴ Nicolaus Gerardus Wyżycki, abbas commendatarius monasterii Cervenscensis, O.C.S. Aug. epus Culmensis anno 1699.

⁵ Nicolaus Stanislaus Świącicki, epus Culmensis, v. A. 1. adn. 1.

Coram ill[ustrissi]mo et rev[erendissi]mo d[omi]no Ioanne Antonio de Via, Dei et Apostolicae Sedis gratia archiepiscopo Thebarum, Sanctissimi Domini n[ost]ri d[omi]ni Innocentii Divina Providentia Papae XII praelato domestico et assistente, eiusdemque et Sanctae Sedis Apostolicae ad Regnum Poloniae et Magnum Ducatum Lithuaniae cum facultatibus legati de latere nuntio apostolico, meque notario et cancellario infrascripto comparens personaliter r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Wyzycki abbas Cervenensis, praepositus Mstoviensis Canonorum Regularium Lateranensium, exposuit optare se ex gratia et benignitate praefati Sanctissimi D[omi]ni n[ost]ri D[omi]ni Innocentii Divina Providentia Papae XII eiusque Sanctae Sedis Apostolicae promoveri ad ecclesiam cathedralem Chełmensem, vacaturam per translationem (si sequatur) ill[ustrissi]mi rev[erendissi]mi d[omi]ni Stanislai Hiacynti Świącicki ad episcopatum Culmensem, ipsius ecclesiae Chełmensis ultimi et immediati possessoris, deque eadem sibi provideri ad petitionem serenissimi olim regis Poloniae. Ideo ea, qua decet, reverentia instetit apud dominationem suam ill[ustrissi]mam et rev[erendissi]mam, ut processum inquisitionis super vita, moribus et idoneitate eiusdem aliisque requisitis, et super statu ecclesiae Chełmensis formare dignaretur iuxta sacri concilii Tridentini decreta et constitutiones felicis recordationis Gregorii XIV ad hoc, ut Sua Sanctitas, de omnibus et singulis bene informata, possit et valeat pro sua pietate et zelo, circa optimum dictae ecclesiae statum totiusque cleri et populi commodum et utilitatem consultius et utilius prospicere et providere omnia.

Qui illustrissimus et rev[erendissi]mus d[omi]nus nuntius apostolicus sumptis praedictis admisit [106r] si et inquantum petitionem huiusmodi iustam et rationabilem attendens, dictum processum confici, iuramenta et depositiones testium per dominationem suam ill[ustrissi]mam et rev[erendissi]mam ex officio vocandorum et super interrogatoriis solitis examinandorum recipi, caeteraque omnia necessaria et opportuna fieri et per me, notarium et cancellarium infrascriptum, rogari ac omnia et singula in publicam formam et publicum instrumentum sive documentum redigi mandavit, ut ita redacta suis loco et tempore ad praefatum Sanctissimum D[omi]num nostrum Papam transmitti valeant.

Interrogatoria ex officio facienda testibus secreto vocandis et examinandis super qualitate et requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Wyzycki abbatis Cervenensis promovendi, si placuerit Sanctissimo D[omi]no nostro ad supplicationem serenissimi olim Regis Poloniae ad ecclesiam cathedralem Chełmensem.

l.um.

An testis cognoscat reverendum patrem dominum Nicolaum Wyzycki, abbatem Cervenensem canonorum regularium Congregationis Lateranen-

sium, quomodo a quanto tempore citra, an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus?

2.um.

An sciat, in qua civitate vel loco et dioecesi sit natus, et quae sit causa scientiae?

3.um.

An sciat eum natum esse ex legitimo matrimonio atque honestis et catholicis parentibus, et quae sit causa scientiae?

4.um.

An sciat, cuius aetatis sit, praesertim, an expleverit annum trigesimum et quae sit causa scientiae?

5.um.

An sciat eum esse in sacris ordinibus constitutum, a quo tempore, citra et praesertim ante sex menses, et quae sit causa scientiae?

6.um.

An sciat eum esse in ecclesiasticis functionibus diu versatum, in susceptione Sacramentorum frequentem et devotum, et quae sit causa scientiae?

7.um.

An sciat eum semper catholice vixisse et in fidei puritate permansisse, et quae sit causa scientiae?

8.um.

An sciat eum praeditum esse innocentia vitae bonisque moribus, et an sit bonae conversationis et famae, et quae sit causa scientiae?

9.um.

An sciat eum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem, et quae sit causa scientiae?

10.um.

An sciat eum aliquo gradu in iure canonico vel in sacra theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore et quo fructu ipse theologiae vel iuri canonico operam dederit, et an vere ea doctrina polleat, quae in episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere, et quae sit causa scientiae?

11.um.

An sciat eum aliquo munere functum esse, vel circa curam animarum [106v] aut regimen alicuius ecclesiae se exercuisse et quomodo in eis se gesserit, tam quoad doctrinam quam quoad prudentiam, integritatem et mores, et quae sit causa scientiae?

12.um.

An sciat eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores sive doctrinam, vel aliquo corporis aut animi vitio aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad ecclesiam cathedralem Chelmsensem promoveri, et quae sit causa scientiae?

13.um.

An sciat, quod praefatus r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Wyżycki possideat aliqua beneficia, quatenam sint et quantus singulorum redditus, an obligetur ad residentiam, an ea in titulum vel in commendam, an pacifice vel non pacifice possideat, et an possit cedere in alicuius praeiudicium, si eorundem beneficiorum retentio ipsi concederetur, et quae sit causa scientiae?

14.um.

An eum idoneum existimet ad bene regendam ecclesiam cathedralem, et praecipue Chełmensem, ad quam ipse est promovendus, an dignus, qui ad illam promoveatur, et an ipsius promotionem eidem ecclesiae et dioecesi utilem et proficuum futuram esse censeat et quare ita existimet?

Interrogatoria super statu ecclesiae Chełmensis.

1.um.

An testis sciat, in qua provincia sita sit civitas Chełmensis, cuius qualitatis et magnitudinis sit, quot compleatur domibus et a quot Christi fidelibus habitetur, cuius dominio in temporibus subiaceat, et quae sit causa scientiae?

2.um.

An sciat in illa civitate esse ecclesiam cathedralem, sub qua invocatione, cuius structurae et qualitatis, an aliqua reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

3.um.

An sciat, cui archiepiscopo sit suffraganea, et de causa scientiae?

4.um.

An sciat, quot et quales sint in dicta ecclesia dignitates et canonicatus ac alia beneficia ecclesiastica, et quis numerus presbyterorum et clericorum ibi in Divinis inservientium, quae sit dignitas maior post pontificalem, qualis sit redditus canonicatus et aliorum beneficiorum, et an adsit praebenda theologalis et poenitentiaria, et quae sit causa scientiae?

5.um.

An in ea cura animarum exerceatur, an sit in ea fons baptismalis, et de causa scientiae?

6.um.

An habeat sacrarium sufficienter instructum sacra suppellectili caeterisque rebus ad Divinum cultum ac etiam pontificalia exercenda necessariis, chorum, organum, campanile cum campanis, coemeterium, et quae sit causa scientiae?

7.um.

An sint in ea corpora vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum, quomodo asserventur, et quae sit causa scientiae?

8.um.

An habeat domum pro episcopi habitatione, ubi et qualem, quantum distet ab ecclesia, et an reparatione indigeat, et quae sit causa scientiae?

9.um.

An sciat valorem reddituum mensae episcopalis, ad quam summam annuatim [107r] ascendant, in quibus consistant, an sint aliqua pensione onerati, ad cuius vel quorum favorem dicta pensio est reservata, et quae sit causa scientiae?

10.um.

Quot existunt in dicta civitate ecclesiae parochiales, et an unaquaeque habeat fontem baptismalem, quot item existant in illa collegiatae, quot monasteria virorum et mulierum, quot confraternitates et hospitalia, et an ibi sit mons pietatis, et quae sit causa scientiae?

11.um.

Quantum sit ampla dioecesis Chelmensis, quot et quae loca complectatur, et quae sit causa scientiae?

12.um.

An in ea erectum sit seminarium, quot in eo aluntur pueri, et quae sit causa scientiae?

13.um.

An ipsa ecclesia Chelmensis vacet, quomodo, a quo tempore citra, et quae sit causa scientiae?

Die 20 Octobris 1696

Examinatus fuit per ill[ustrissim]um ac rev[erendissim]um d[omi]nu[m] nuntium apostolicum suprascriptum in camera solitae audientiae suae ill[ustrissim]ae et rev[erendissim]ae dominationis ill[ustrissim]us et rev[erendissim]us dominus Nicolaus Popławski⁶, episcopus Livoniae et Pylthinensis, testis ex officio vocatus, et per dominationem suam ill[ustrissim]am et rev[erendissim]am secreto examinatus; qui delato sibi iuramento veritatis dicendae, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissim]ae ac rev[erendissim]ae tacto pectore iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis re[vere]ndi patris d[omi]ni Nicolai Wyzycki abbatis Cervenensis promovendi, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, ad supplicationem serenissimi olim regis Poloniae ad cathedralem ecclesiam Chelmensem, dixit et deposuit, prout infra.

Ad 1.mum.

R. Novi r[everendum] p[atrem] d[ominum] Nicolaum Wyżycki a 16 circiter annis, occasione frequentandi aulam, quia ordinarie erat apud serenissimum; caeterum non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, nec inimicus aemulus vel odiosus.

⁶ Nicolaus Popławski, epus Vendensis die 15 I 1685, aepus Leopoliensis anno 1710.

Ad 2.um.

R. Non constat mihi, in quo loco sit natus, sed cum sit ex palatinatu Rusiae, debet in aliqua civitate illic originem habere.

Ad 3.um.

R. Semper habitus fuit pro legitimo filio d[omi]ni Wyzycki militis insignis, cuius notitiam habui, dum esset in Vinis.

Ad 4.um.

R. Absque dubio excedit annum trigesimum, cum sit abbas a longo tempore, verum mihi non constat certa ipsius aetas.

Ad 5.um.

R. Puto illum esse sacerdotem a tempore, quo illum novi, nam vidi multoties celebrantem.

Ad 6.um.

R. Quantum possum colligere, est versatus in ecclesiasticis functionibus; caeterum, cum multoties celebrantem illum viderim, puto esse frequentem in susceptione Sacramentorum.

Ad 7.um.

R. Nihil contrarium fidei et catholicae religioni de ipso unquam audivi.

Ad 8.um.

R. Puto illum esse praeditum innocentia vitae, nec aliquid contrarium bonis moribus audivi, nisi quod aliquoties hilaris fieret, genio regis ad potum inclinato indulgendo.

Ad 9.um.

R. Habet prudentiam et praestantiam in rebus gerendis, quam [107v] probavit in negotiis publicis, quibus tanquam secretarius Regni fuit addictus.

Ad 10.

R. Nescio, utrum sit insignitus nullo gradu in iure canonico vel in sacra theologia, caeterum puto illum pollere sufficienti doctrina ad hoc, ut possit alios tanquam Episcopus docere.

Ad 11.

R. Nullas audivi querelas de ipsius regimine, tam in praepositura Mstoviensi quam in abbazia Cervenensi, et quietius semper fuit regimen Mstoviense quam Cervenense.

Ad 12.

R. Nunquam audivi scandalum aliquod illum dedisse, vel circa fidem vel circa mores, sicuti nullo corporis aut animi vitio aliove canonico impedimento laborare, scio quominus ad episcopatum promoveri possit.

Ad 13.

R. Iam insinuavi ipsum habere praeposituram Mstoviensem et abbatiam Cervenensem, de praepositurae Mstoviensis redditibus nihil certi asserere possum, quamvis communis opinio sit beneficium illud non esse tenue; abbatiae Cervenense redditus ascendunt forte ad quindecim millia florenorum;

tam praepositura quam abbatia ex natura sua obligant ad residentiam. Praeposituram habet in titulum, ad abbatiam fuit electus, sed necdum illam pacifice possidet, habuit enim opponentem aliquem patrem Małowieski, cui erat provisum de eadem abbatia absque auctoritate Sanctae Sedis. An retentio istorum beneficiorum possit cedere in alicuius praeiudicium, non est meum definire.

Ad 14.

R. Existimo illum esse idoneum ad bene regendam ecclesiam Chelmsensem, speroque promotionem ipsius futuram proficuum et ipsi, et ecclesiae, et dioecesi.

Extunc finito examine, ill[ustrissimus] d[omi]nus nuntius ill[ustrissimus] d[omi]nus episcopum licentiavit, iniuncto ei, ut se suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur:

Et ita attestor ego Nicolaus Popławski, episcopus Livoniae et Piltinensis, manu propria.

Die quinta Novembris.

Examinatus fuit per ill[ustrissimum] rev[erendissimum] d[omi]num, quem supra, adm[odum] r[everendus] Pater Chrisostomus Gołębiowski⁷ Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, s[acrae] th[eologiae] d[octo]r, ordinarius concionator regius, aetatis suae annorum 42, ut asserit et ex aspectu eius apparet, testis ex officio vocatus et per dominationem suam ill[ustrissimam] et rev[erendissimam] secreto examinatus qui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissimae] et rev[erendissimae] tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Wyżycki abbatis Cervenensis, promovedi, si sanctissimo d[omi]no Nostro placuerit, ad cathedralem ecclesiam Chelmsensem dixit et deposuit, prout infra, videlicet.

[108r] „Professio Fidei”. Ego Nicolaus Geraldus a Wyżyce Wyżycki etc., v. Biliński ANP XXIV/1, p. 371-372.

[Attestatio Nuntii]

[108v] Ego infrascriptus fidei professionem supradescriptam, de verbo ad verbum emissam a r[everendo] p[at]re d[omino] Nicolao Wyżycki nominato ad episcopatum Chelmsensem, recessi, et ita testor manu propria.

^{a-}I[ohannes] A[ntonius] archiepiscopus Thebarum nuntius apostolicus manu propria^a

^{a-a} *autographum*

⁷ Chrysostomus Gołębiowski.

[Attestatio Notarii]

[108v] In Dei nomine Amen. Omnibus et singulis, quorum interest, fidem facio et attestor ego infrascriptus, quod anno a eiusdem Domini Nostri Iesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto, indictione Romana IV, die vero tertia mensis Decembris, constitutus peronaliter r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Wyżycki abbas Cervenensis canonicorum regularium Lateranen[sium] coram ill[ustrissi]mo et rev[erendissi]mo [111r] domino d[omi]no Ioanne Antonio de Via archiepiscopo Thebarum et in Regno Poloniae nuntio ap[osto]lico flexis genibus et Sacrosanctis Evangeliiis, quae prae manibus habebat, tactis, medio iuramento supradictam fidei professionem de verbo ad verbum, prout iacet, in manibus eiusdem ill[ustrissi]mi et rev[erendissi]mi d[omi]ni nuntii ap[osto]lici emisit, praesentibus perillustribus rev[erendissi]mo et ad[modu]m r[evere]ndo Francisco Libowicz capellano ill[ustrissi]mi et rev[erendissi]mi d[omi]ni nuntii ap[osto]lici supradicti domestico et familiari, et d[omi]no Petro Francisco Mordanesio Romano, testibus ad praemissa vocatis, habitis atque rogatis.

Actum Varsaviae die, mense, anno, quibus supra, et in fidem me subscripsi signoque mei notariatus publici communivi.

^a-Adalbertus Skwarczyński pub[li]cus s[anct]a auctoritate ap[osto]lica nuntii et nunciaturae ap[osto]licae in Regno Poloniae cancell[arii] manu propria^a

^{a-a} *autographum*

[109r] Ad 1.um.

R. Novi r[everendum] p[atrem] d[ominum] Wyżycki plus quam a 10 annis, dum aulam frequentarem in munere concionatoris regii; caeterum non sum ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nec nimium familiaris, aut inimicus, aemulus vel odiosus.

Ad 2.um.

R. Nescio.

Ad 3.um.

Uti supra, sed cum non admittantur ad praelaturas etiam monachales, nisi ex legitimo matrimonio et stirpe nobili orti, apparenter utraque praerogativa fruetur.

Ad 4.um.

R. Puto esse quadragenarium ad minus.

Ad 5.um.

R. A tempore, quo illum novi, saepius eundem celebrantem vidi.

Ad 6.um.

R. Aliquoties praedicavit et saepius confessus est, ita ut non dubitem de ipsius pietate, praesertim cum saepius diebus festis cantaret Sacrum coram serenissimo rege.

Ad 7.um.

R. Nihil unquam observavi in ipso contrarium puritati fidei et religioni catholicae.

Ad 8.um.

R. Per tres menses cum ipso habitavi Iavoroviae et nihil dedecens statum religiosum observavi, apud regem singulari potiebatur existimatione, aulicique non improbant ipsius mores et vitam.

Ad 9.um.

R. In omnibus negotiis, quibus auctoritate regis addictus fuit, prae se tulit gravitatem, prudentiam et praestantiam.

Ad 10.

R. Latet me, an sit insignitus aliquo gradu, verum tamen theologus est professione et eam habet doctrinam, quae in episcopo requiritur ad alios docendum.

Ad 11.

R. Fuit praepositus Mostoviensis, sed non scio, quomodo se gesserit.

Ad 12.

R. Nunquam audivi publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem vel circa mores, sicuti nec ullo corporis aut animi vitio alioque canonico impedimento teneri scio, quominus ad episcopatum promoveri possit.

Ad 13.

R. Habet praeposituram Mstoviensem, de qua supra, item abbatiam Cervenensem, quorum beneficiorum reditus mihi sunt ignoti, sicut etiam, an illa possideat in titulum vel in commendam, et an pacifice vel non.

Ad 14.

R. Puto futurum idoneum ad regendam ecclesiam Chelmensem dignumque illum censeo, qui promoveatur ad episcopalem dignitatem, multa enim bona spero ab ipsius promotione desuper allegata.

Extunc finito examine ill[ustrissimus] d[omi]nus testem dimisit, iniuncto ei, ut se suae epositioni subscribat, prout fecit, ut infra.

M[agiste]r f[rater] Chrysostomus Gołęmbiowski Augustian[us] s[erenissimi] d[omini] regis concionator ordinarius manu propria.

Die decima.

Examinatus fuit per ill[ustrissimum] et rev[erendissimum] d[omi]num, quem supra et ubi supra, adm[odum] r[everendus] Carolus Mauritius Votta⁸ Societatis Iesu, theologus olim [109v] s[erenissimae] r[egiae] maiestatis, aetatis suae anorum 67, prout asserit et ex aspectu eius apparuit, testis ex officio vocatus et per dominationem suam ill[ustrissimum] et rev[erendissimum]

⁸ Carolus Mauritius Vota.

secreto examinatus; qui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus ill[ustrissi]mae et rev[erendissi]mae dominationis tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Wyżycki abbatis Cervenensis canonicorum regularium Lateranensium promovendi, si Sanctissimo D[omi]no n[ost]ro placuerit, ad supplicationem serenissimi olim regis Poloniae ad cathedralem ecclesiam Chelmensem, dixit et deposuit, prout infra, videlicet.

Ad 1.um.

R. Ab octo circiter annis cognosco r[everendum] p[atrem] d[ominum] Nicolaum Wyżycki occasione frequentationis aulae, cum essem theologus regius et ipse secretarius Regni; non sum ipsius consanguineus, cognatus aut affinis, nec nimium familiaris aut inimicus, aemulus aut odiosus.

Ad 2.um.

R. Nescio.

Ad 3.um.

R. Ex ore regis audivi esse filium militis illustrissimi et generosissimi; caeterum ultiores notitias non habeo.

Ad 4.um.

R. Puto esse quadragenarium, quod ex ipsius facie arguo.

Ad 5.um.

R. Saepius vidi ipsum celebrantem a tempore, quo illum novi.

Ad 6.um.

R. Vidi ipsum in solemnioribus festis solemniter celebrantem et aliis etiam diebus, dum maneret in aula.

Ad 7.um.

R. Nihil unquam contrarium audivi, immo de ipsius puritate in fide et religione catholica sum bene persuasus.

Ad 8.um.

R. Nec ex eo, quod mihi constat, nec ex eo, quod per publicam famam habeo, aliquid dicere possum contra ipsius vitae innocentiam genuinosque mores, semel tantum aut bis audivi ab ipsomet, quod propter rixas natas inter illum et episcopum Chelmensem aliquid ipsi obiectum fuisse.

Ad 9.um.

R. De prudentia et praestantia iudicii illius nullum est dubium, quoad gravitatem etiam spero ipsum satisfactum muneri suo.

Ad 10.

R. An sit graduatus, nunquam inquisivi, quod vero peritus saltem in theologia pluries expertus sum ita, ut putem habere sufficientem doctrinam ad episcopatum.

Ad 11.

R. Non scio, an unquam habuerit curam animarum, tantum rexit ante

aliquot annos insignem abbatiam Cervenensem, sed cum haec negotia non tangant aulam, mihi sunt ignota.

Ad 12.

R. Exceptis difficultatibus, uti dicebam, excitatis ab episcopo Chelmsensi, nihil de ipso audivi, quod saperet scandalum nec circa fidem nec circa mores sive doctrinam, sicuti nec aliquo corporis aut animi vitio aliove canonico impedimento laboret, quominus possit ad episcopatum promoveri.

Ad 13.

R. Videor audivisse illum possidere praeposituram aliquam, circa quam nullae fuerunt unquam, quod sciam, difficultates, sed aliquot fuerunt circa abbatiam Cervenensem; de horum beneficiorum redditibus et natura nihil mihi constat.

Ad 14.

R. Quo ad capacitatem et qualitates naturales, puto eum esse idoneum quoad unctionem spiritus et morales virtutes; spero, quia non habeo quod opponam.

[110r] Extunc finito examine ill[ustrissim]um d[omi]nus nuntius testem dimisit iniuncto ei, ut se suae depositioni subscribat, prout fecit, ut infra.

Ita deposui pro veritate

Carolus Mauritius Vota Soc[ietatis] Iesu

theologus s[erenissimae] r[egiae] Maiestatis

Die 22.

Examinatus fuit per ill[ustrissim]um et rev[erendissim]um dominum, quem supra et ubi supra, perillustris et adm[odum] r[everendus] Paulus Chotecki⁹ archidiaconus Chelmsensis, canonicus Luceoriensis, aetatis suae annorum 45, prout asserit et ex aspectu apparet, testis ex officio vocatus, et per dominationem suam ill[ustrissim]am et rev[erendissim]am secreto examinatus, qui delato iuramento de veritate dicenda, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissim]ae et rev[erendissim]ae, tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super statu ecclesiae Chelmsensis dixit et deposuit, prout infra, videlicet.

Super 1.o.

R. Sita est civitas Chelmsensis in provincia Russiae, non habet forte 20 domus, quarum praecipua pars est Ruthenorum unitorum ita, ut cultorum fidei Romanae numerus non ascendat forte ad 60 in temporalibus, subest dominio regis et Reipublicae Polonae; causaque scientiae, quia sum archidiaconus Chelmsensis a 2 annis fuique antehac cancellarius et canonicus eiusdem ecclesiae per 4 annos.

⁹ Paulus Chotecki, archidiaconus Chelmsensis.

Super 2.o.

R. In civitate Chelmensi est quidem cathedralis Ruthenorum sed ecclesia nostra cathedralis est Crasnostaviae, quae civitas est amplior et commodior, quamvis non habeat ultra 500 incolas, inter quos non sunt 200 Romano-catholici. Ecclesia cathedralis est sub invocatione Omnium Sanctorum, bonae structurae ex lateribus coctis, recenterque reparata fuit, causa scientiae est eadem, quae supra.

Super 3.o.

R. Est suffraganea archiepiscopo Leopoliensi, quae scio, quia sum ibi archidiaconus.

Super 4.o.

R. Sex sunt dignitates in nostra ecclesia, scilicet prae[positus], decanus, custos, archidiaconus, scholasticus et cancellarius, praeter quas erunt octo canonici, quia omnes simul sumus 14; praeterea vicarii cum mansionaristis erunt circiter 8; clerici in minoribus ordinibus constituti sunt designati, et quando aliqui veniunt, inserviunt tantum ad tempus. Dignitas maior post pontificalem est praepositura. Reditus praelatorum et canonicorum consistunt omnes in distributionibus, quae nunquam excedunt 100 florenos Polonicales per integrum annum pro unoquoque praelato et canonico. Mansionaristae et vicarii habebunt circa 200 florenos annuatim pro quovis beneficiato. Non est praebenda theologalis, sed est paenitentiarum, cuius tamen officium suppletur a patribus Societatis ibi noviter fundatis, quia paenitentiarum ob tenuitatem reddituum non potest per totum annum residere.

Super 5.o.

R. Exercetur cura animarum per seniore inter vicarios, adestque fons baptismalis; causa scientiae eadem, quae supra.

Super 6.o.

R. Sacrarium instructum est sacra suppellectili caeterisque rebus ad Divinum cultum necessariis; pontificalia ornamenta non habet, praeter mitram pretiosam, qua non utuntur episcopi, quia fuit relicta [110v] antiquitus capitulo in tesseram memoriae. Chorum, organum, coemeterium muro circumductum et campanile ligneum cum campanis aeneis habet; causaque scientiae eadem, quae supra.

Super 7.o.

R. Sunt insignes reliquiae Sanctorum, quorum nominum non recordar, asservanturque in capsis ligneis deauratis.

Ad 8.um.

R. Erat domus Crasnostaviae pro episcopi habitatione in ipsomet coemeterio ecclesiae cathedralis, et altera erat Skierbieszoviae maioris magnitudinis, et ambae muro aedificatae, modo autem sunt destructurae ita, ut episcopus recenter defunctus habitaret in domo lignea vicariorum, nimiae enim impensae requirebantur pro earundem reparatione.

Super 9.o.

R. Mensa episcopalis quattuor habet praedia in pluribus villis consistentia, quae nos vocamus claves, primumque Cumoviensis¹⁰ reddet circa bis mille quingentos florenos; secundum Savinensis¹¹ non habebit ultra mille florenorum; 3tium. Pawłoniensis¹² ascendens ad proventum annum 800 florenorum. 4tum Skierbieszoviensis, quod dabit circa mille quingentos florenos annuos ita, ut tota summa non excedit 5800 florenorum Polonorum; qui ad Romanum computum reducti non multum excedunt 725 scuta Romana. Ulterius haec valde diminuentur, modo propter tumultus et seditionem militum Regni, qui cum rebellaverint a Republica, usurpabunt sibi alimenta et stationes in bonis ecclesiasticis.

Super 10.

R. Chelmae unica est parochialis Romanorum, sicuti et una Ruthenorum Crasnostaviae, item praeter ecclesiam cathedralem, in qua exercetur cura animarum, uti supra, est in coemeterio per modum capellae parva ecclesia, in qua saepius celebrant patres Societatis, qui necdum habent propriam ecclesiam. Praeter istas unica est ecclesia Augustianorum Crasnostaviae; praeterea nihil.

Super 11.o.

R. Amplitudo dioecesis Chelmensis extenditur ad multa milliaria, forte 30; verum cum sit referta Ruthenis, quinquaginta tantum circiter parochiales ecclesiae ritus Romani dicuntur esse in potestate episcopi Chelmensis.

Super 12.o.

R. Non est seminarium fundatum, sed domus vicariorum et mansionariorum recentur exstructa vocatur seminarium.

Super 13.o.

R. Ecclesia Chelmensis debebat prius vacasse per ascensum episcopi n[ost]ri ad Culmensem cathedralem, sed modo vacat per mortem ipsiusmet episcopi a die 24 vel 25 Octobris, quod scivi tum a palatino Syradiensi, qui degit in mea vicinia et recepit omnium praeposituram, tum a famulo ipsiusmet episcopi defuncti. Caeterum capitulares me non monuerunt, quia exclusum voluerunt ab administratione unius ex quattuor clavibus seu praediis, quae mihi de iure competit.

Extunc finito examine, testis dimissus, iniuncto ei, ut se suae depositioni subscribat, prout fecit, ut sequitur, videlicet.

Paulus a Chotcza Chotecki archidiaconus Chelmensis, canonicus Luceo-riensis.

Secretarius s[erenissimae] r[egiae] maiestatis manu propria

¹⁰ Kumów.

¹¹ Sawinów.

¹² Pawłów.

Die 26.

[112r] Examinatus fuit per ill[ustrissi]mum et rev[erendissim]um d[omi]num quem supra, et ubi supra, adm[odum] r[evere]ndus p[ate]r Lucas Ocosalski¹³ Ordinis Praedicatorum, prior conventus Varsaviensis S[anctae] Mariae Victoriosae, aetatis suae annorum 49, prout asserit et ex aspectu apparet, testis ex officio vocatus et per dominationem suam ill[ustrissi]mam secreto examinatus; qui delato iuramento veritatis dicendae, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissi]mae et rev[erendissi]mae tactis etc., iuravit etc., ad opportunas interrogationes super idoneitate et requisitis r[everendi] p[atris] d[omini] Nicolai Wyzycki abbatis Cervenensis, promovendi[si] Sanctissimo D[omi]no n[ost]ro placuerit, ad ecclesiam cathedralem Chelmsensem, dixit et deposuit, prout infra, videlicet.

Ad 1.um.

R. Novi r[everendum] p[atrem] d[ominum] Wyzycki a 7 annis, occasione assistentiae, quam praestiti serenissimo regi; itemque prius aliquam notitiam habui de ipso ante viginti forte annos; caeterum non sum ipsius consanguineus nec cognatus, aut affinis, nec nimium familiaris, aut inimicus, aemulus vel odiosus.

Ad 2.um.

R. Est natus in palatinatu Volhyniae, quia ibi habent domini domini Wyzyccy suas possessiones et originem.

Ad 3.um.

R. Quod sit ex legitimo matrimonio natus, hoc habeo a publica fama, sicuti etiam, quod sit ex nobili stipite.

Ad 4.um.

R. Est fere quinquagenarius, quod habeo ex antiqua de ipso notitia.

Ad 5.um.

R. Vidi illum toties celebrantem in hoc ultimo septennio, prout non dubitem de ipsius sacerdotio.

Ad 6.um.

R. Ex conversatione ipsius percepi esse versatum in ecclesiasticis functionibus, frequentem et devotum in suscipiendis Sacramentis, sicuti et concionantem audivi.

Ad 7.um.

R. Nihil unquam audivi, quod suspicionem ingerere posset de puritate ipsius fidei.

Ad 8.um.

R. Nihil audivi contrarium innocentiae et modestia, quae virum religiosum decet.

¹³ Lucas Oczosalski, prior Conventus Varsaviensis.

Ad 9.um.

R. Videtur mihi esse sufficiens quoad prudentiam et praestantiam in rebus et negotiis agendis.

Ad 10.um.

R. Non scio, an aliquo gradu sit insignitus in iure canonico vel in sacra theologia, quamvis mihi videatur habere sufficientem doctrinam ad episcopatum.

Ad 11.

R. Scio bene, quod habeat aliquot beneficia, quae curam animarum exigunt, sed quomodo ea rexerit, vere non scio.

Ad 12.

R. Praeterquam quod audiverim aliquando ad hilaritatem usque cum amicis compotasse, quod saepius est moris in Regno Poloniae, nullum aliud scandalum ipsum dedisse unquam audivi, tum circa fidem tum circa mores, sicuti nec ullo corporis aut animi vitio aliove canonico impedimento laborare percepi, quominus ad episcopatum promoveri possit.

Ad 13.um.

R. Habet abbatiam Cervenensem, in qua non adeo convenit cum monachis qui sunt canonici regulares Lateranenses; habet item praeposituram Mstoviensem, ex praepositura habebit, secundum ea quae audivi, sex millia florenorum, ex abbazia forte triginta millia, sed haec non bene scio.

Ad 14.um.

R. De doctrina et capacitate ipsius non dubito, circa mores non habeo exceptionem ita, ut putem illum posse inter alios episcopos sedere; sperarem item promotionem ipsius futuram utilem et proficuum ecclesiae Chelmsensi.

Extunc finito examine testis dimissus, iniuncto ei, ut se suae depositioni subscribat, prout fecit, ut infra.

Ita deposuit; pro veritate fr[ater] Lucas Ocosalski Ordinis Praedicatorum prior [conventus] Varsaviensis S[anctae] Mariae Victoriosae manu propria.

Die prima Decembris.

[112v] Examinatus fuit per ill[ustrissim]um et rev[erendissim]um d[omi]num, quem supra et ubi supra, perillustris et adm[odum] r[everend]us Casimirus Wieszczycki¹⁴ canonicus ecclesiae cathedralis Chelmsis, aetatis suae annorum 29, ut asserit et ex aspectu eius apparet, testis ex officio vocatus, et per dominationem suam illustrissimam et rev[erendissim]am secreto examinatus; qui delato sibi iuramento veritatis dicendae, prout in manibus dominationis suae ill[ustrissim]ae et rev[erendissim]ae tactis etc. iuravit etc. ad opportunas interrogationes super statu ecclesiae Chelmsis, dixit et deposuit, ut infra, videlicet.

¹⁴ Casimirus Wieszczycki, canonicus cathedralis Culmensis.

Super 1.mo.

Sita est civitas Chel̄mensis in palatinatu Russiae et districtu Crasnosta-
viensi; continet forte 400 domos, quarum pars maior est Iudoeorum, caetera
spectant ad Graecos Ruthenos ex iis, qui vocantur uniti. Caeterum catholi-
corum Romanorum parvus est numerus ita, ut non credam decem ex iis
domibus impleri per ipsos, ex quo factum est, ut cathedralis cum capitulo
translata sit Crasnostaviam. An haec translatio fuerit auctoritate pontificia,
non scio, puto tamen intervenisse indultum ap[osto]licum, quia ecclesia,
quae prius erat cathedralis, possidetur modo a patribus Scholarum Piarum,
quorum Ordo viget et floret sub protectione Sanctae Sedis; causa autem
scientiae est, quia sum canonicus illius ecclesiae ab anno et incola illius
terrae et districtus.

Super 2.o.

R. Ecclesia cathedralis modo est Crasnostaviae, sub invocatione Sanctorum
Omnium, bonae structurae ex lateribus coctis, quae tamen incipit reparationem
exigere, tum in tecto tum in muris; causaque scientiae, quia nuper absolvi
meam residentiam.

Super 3.o.

R. Chel̄mensis ecclesia est suffraganea archiepiscopi Leopolitani; causa-
que scientiae eadem, quae supra.

Super 4.o.

Dignitates ecclesiae cathedralis sunt numero sex, scilicet praepositura,
decanatus, scholastria, archidiaconatus, cantoria et cancellariatus, praeter
quas undecim aliae sunt praebendae. Erunt forte octo vel decem inter vicarios
et mansionarios, qui omnes sunt sacerdotes vel in sacris constituti minorum
ordinum, clerici nulli sunt stabiles. Non habemus redditus separatos, quia
omnia bona capituli administrantur in communi, et eorum redditus ad
communem massam rediguntur, haecque bis in anno canonicis distribuitur,
scilicet in festo Trium Regum et Ascensionis Dominicae; primam distribu-
tionem habui ego in festo Ascensionis, obtinui trecentos florenos, secundam
necdum ita, ut nil certi possim dicere de redditibus canonicatum. Vicarii non
habent ordinarie plus quam 300 florenos, qui singulis distribuuntur quovis
anno ex alia massa communi. Separata a nobis sunt praebenda theologalis
et paenitentiarum, quarum munus exercetur a patribus Societatis; causaque
scientiae eadem, quae supra.

Super 5.o.

R. Exercetur cura animarum in ecclesia cathedrali primario per seniore
vicariorum, secundario per alios vicarios, et etiam per patres Societatis Iesu;
causaque scientiae eadem, quae supra.

Super 6.o.

R. Sacrarium est sufficienter instructum sacra supellectili, adsunt quo-
que alia ornamenta pontificalia, sed non tam pretiosa, uti caeterae habent

ecclesiae; sunt quoque chorus, organum, campanile ligneum cum campanis, [113r] coemeterium et omnia ea, quae ad ecclesiam requiruntur.

Super 7.o.

R. Cum semel tantum fuerim in residentia, non habeo plenam notitiam, an sint corpora vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum.

Super 8.o.

R. Domus episcopi sita in coemeterio, cum sit valde destructa, est applicata scholis; an habeat aliam habitationem episcopus, nescio.

Super 9.o.

R. Reditus mensae episcopalis solent ascendere ad sex vel septem millia florenorum, qui tamen debent colligi ex venditione fructuum, qui percipiuntur in quattuor diversis clavibus seu praediis, quae fuerunt assignata mensae episcopali a pietate regum. Praeter hibernam, super qua conventum est cum Republica, nulla pensione sunt onerati redditus praedicti.

Super 10.o.

R. In civitate Crasnostaviensi unica est Romanorum ecclesia parochialis, quae et cathedralis; praeter quam est monasterium Augustinianorum cum ecclesia et fundatio patrum Societatis, qui necdum ecclesiam aedificaverunt. Caeterum non sunt confraternitates, non hospitalia, non mons pietatis, nec similia pauperum levamina; causaque scientiae eadem, quae supra.

Super 11.o.

R. Extenditur dioecesis Chelmensis ad quindecim milliaria Polonica in longitudinem, in latitudinem vero ad decem milliaria. In quo satis amplo spatio tam rari sunt catholico. Romani, ut non impleant numerum 50 Parochias.

Super 12.o.

Non est seminarium.

Super 13.o.

R. Debeat vacasse ecclesia Chelmensis per ascensionem n[ost]ri antistitis ad cathedralem Culmensem, verum cum morte praevenerit ipse bullas apostolicas, vacat per obitum ill[ustris]mi Stanislai Hyacintii Świącicki pie defuncti 24 Octobris, quod scio tum ex publicis relationibus tum ex literis capituli ad me delatis.

Extunc finito examine testis dimissus, iniuncto ei, ut se subscribat suae depositioni, prout fecit, ut sequitur.

Ita deposuit; pro veritate ego Casimirus Wieszczycki, canonicus cathedralis Chelmensis manu propria.

[Attestatio Nuntii]

^a-Supradictis testibus adhibendam esse plenam fidem censeo et dico. I[oa]nnes] A[ntonius] arch[iepiscopus] Thebarum nuntius apostolicus.^{-a}

^{a-a} *autographum*

Deinde idem r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Wyżycki ad docendum de legitimo natalibus etc., exhibuit documentum infrascriptum ad affectationem magnifici ac generosi d[omi]ni Stanislai Wyżycki vexilliferi Kiioviensis, testimonium baptisati filii eius Nicolai ex metrica ecclesiae Iazłowecensis tale mitto: Anno D[omi]ni 1699, die 13 Martii ego Stephanus Bronowski canonicus Camenecensis, Buczacensis, Iazłowecensis, prae[positus]: baptisatus est puer nomine Nicolaus per me, legitimorum coniugum magnificorum [113v] ac generosorum parentum Stanislai et Christianae Wyżyckich; levantes de sacro fonte g[ene]rosus Stanislaus Broniewski cum generosa domina Jarmolinska. Extractum ex metrica ecclesiae parochialis Iazłowecensis; in quorum fidem manum meam subscribo.

Datum Iazłoweci 20 Martii 1670.

Ioannes Paiewski canonicus Camenecensis,
Iazłowecensis praepositus manu propria

Locus sigilli

Quibus omnibus et singulis, ut supra, gestis, idem r[everendus] p[ater] d[ominus] Nicolaus Wyżycki petiit subscriptum processum, seu illius copiam, in forma authentica extradi, et sigillo munitam consignari ad effectum ad Almam Urbem transmittendi pro expeditione omnis.

Quocirca nos Ioannes Antonius De Via archiepiscopus Thebarum et nuntius apostolicus antedictus processum clausum et sigillatum seu verius copiam illius, in publica et authentica forma concedendum et extradendum esse duximus; decernentes praefatis istis omnibus et singulis, tanquam rite et legitime gestis, ubique locorum plenariam et indubitam fidem ab omnibus et singulis in iudicio et extra adhibendam esse. In quorum praemissorum fidem et testimonium praesentes manu nostra ac infrascripti notarii cancellarii nostri subscriptas sigilli nostri impressione communiri fecimus.

Datum Varsaviae, die 4 Decembris anno Domini 1696.

[sigillum aridum]

^a-I[oaannes] A[ntonius] archiepiscopus Thebarum nuntius apostolicus^a

^{a-a} *autographum*

[Attestatio Notarii]

Et quia ego Adalbertus Skwarczyński publicus sacra auctoritate apostolica notarius, et ill[ustris]mi ac rev[erendiss]mi d[omi]ni d[omi]ni Ioannis Antonii De Via archiepiscopi Thebarum et nuntii apostolici in Regno Poloniae cancellarius memoratae inquisitioni et testium examini per eundem ill[ustris]mum ac rev[erendiss]mum dominum nuntium apostolicum habitae et receptae, personaliter requisitus interfui necnon iuramenta testium praenominatorum

solemniter fieri vidi et audivi, eorumque dicta in his scriptis fideliter [114] redegi. Idcirco hoc examen et totum hunc inquisitionis processum propria manu subscripsi. Actum Varsaviae, in cancellaria nuntiaturae ap[osto]licae Regni Poloniae, hac die quarta mensis Decembris anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto.

Adalbertus Skwarczyński notarius et cancellarius, qui supra, manu propria.

Viso supradicto processu et contentis in eo, censeo praefatum reverendum abbatem Nicolaum Geraldum a Wyzyce Wyzicki Congregationis canonicorum regularium Lateranensium esse dignum, ut ad dictam ecclesiam Chelmensensem promoveatur, illique in episcopum praeficiatur et pastorem¹⁵.

^a-Carolus cardinalis Barberinus Regni Poloniae protector¹⁶.

A[lederano] cardinalis Cybo¹⁷

Franciscus Chr. cardinalis Maidalchinus¹⁸

B[enedetto] N. Pamphilius^{19-a}

^{a-a} *autographum*

[114v] Chelmensi, die prima Iulii 1699.

¹⁵ Manu Innocentii XII papae.

¹⁶ Manu card. Caroli Barberini.

¹⁷ Manu card. Alderani Cibo.

¹⁸ Manu card. Francisci Maidalchini.

¹⁹ Manu card. Benedicti Pamphili.

